

*Quaestionis solutio.*

Quibus perspectis, ad quaestionem, respondetur relationem externam non addere aliam realitatem subiecto intrinsicam super realitatem relationis internae.

Et ut etiam concrete loquamur, si vere et realiter A est duplum relate ad B, tunc illud « duplum » habet adaequationem veritatis et per realitatem relationis internae, qua A omnia quanta realiter respicit, et simul per realitatem B quae obiective determinat indeterminatam relationem internam.

Iterum, si vere et realiter A est duplum relate ad B, tunc illud « duplum » non habet adaequationem veritatis per realitatem quamdam quae in ipso A recipitur et super realitatem relationis internae additur.

*Argumenta.*

1. In entibus realibus multiplicandis, salvanda est adaequatio veritatis.

Atqui sententia negans superadditam realitatem salvat adaequationem veritatis, sententia autem affirmans superadditam realitatem tollit adaequationem veritatis.

Ergo sententia negans est amplectenda, et sententia affirmans est reicienda.

*Maior:* Nam nisi per verum non innotescit ens.

*Minor:* Nam uti constat ex quarta elucidatione praevia, in relativis externis non habetur adaequatio veritatis nisi in duplici realitate quarum alia est subiecto intrinseca et alia est subiecto extrinseca.

Atqui sententia negans non habet adaequationem veritatis nisi per duplicem realitatem, aliam subiecto intrinsicam nempe, relationem internam, et aliam subiecto extrinsecam, nempe, ipsum terminum.

Sed sententia affirmans superadditam realitatem subiecto intrinsicam, per hanc solam superadditam realitatem, veritatis adaequationem habet.

*Et confirmatur minor:* In veritate, A non est duplum relate ad B nisi per realitatem A et realitatem B. In sententia negante, A non est duplum relate ad B nisi per realitatem A et realitatem B. Sed in sententia affirmante, A est duplum relate ad B per superadditam realitatem A intrinsicam.